est. quod ille quem habebat uir eius non esset, manifeste demonstratum est, quod hi quos prius habuerat quinque eius uiri, hoc est legitimi, et mariti fuissent. Naturale siquidem humane nature est in prima etate, per solos sensuum affectus moueri atque incedere. Cum uero ad annos discretionis peruenit, si relicta ueritate errorem sequitur, ipse ei error tamquam non maritus sed adulter appellatur. Quod autem prius per solum motum sensuum incedens operatur, nec malum ei ad culpam nec bonum ad meritum reputatur. Hoc igitur infantibus et in peccato natis uicium est sine cognitione nasci. Sed hoc eis uicium est cum tali scilicet uicio nasci, ut non prius modum cum ad annos discretionis peruenerint, contingat eos sine gratia adiuuante non habere agnitione ueritatis, illa dumtaxat que ad salutem pertinet preter pediri. Quod si uerum est, neque uicium fuisset ut qui sine peccato nascerentur, sine cognitione nascerentur, quod nichil in se nascendo haberent, unde postea cum ad tempus cognoscendi peruenissent a cognitione ueritatis preimpediri potuissent. Et nos quidem secundum hunc modum in rebus occultis ea que magis probabilia nobis uidebantur elegimus, ita tamen ut in nulla parte dubia per certum asserere presumamus. Preterea autem quod propositum nobis fuit tractare, qualiter primus homo conditus est, hoc presenti abbreuiationi sufficere uoluimus. Hoc restat ut id quod sequitur, hoc est qualiter institutus sit a deo, quantum in tantum animo occurrit et proposito nostro conuenire uidebitur explicemus.

De institutione primi hominis.

Qualiter primus homo institutus sit a deo et ad recte uiuendum informatus, ut plenius ualeamus agnoscere, quedam nos oportet superius iam dicta ad medium reuocare. Diximus namque superius duo bona a principio homini a deo preparata, unum corporale, aliud spirituale; unum uisibile, aliud non uisibile; unum transitorium, aliud eternum, unum corpori, aliud spiritui; unum uite superiori, aliud uite inferiori, ut utraque uita iocunditatem suam haberet, alia ad fomentum, alia ad gaudium, alia ad necessitatem, alia ad felicitatem, alia ad usum temporis, alia ad fructum eternitatis. Horum itaque bonorum que ad utramque uitam pertinebant spiritui qui ipsi carni in homine presidebat cura iniuncta est, quatenus scilicet alterum, hoc est corporale bonum, ad usum inferioris uite per prouidentiam disponeret, alterum uero, hoc est spirituale bonum, ad fructum uite superioris per obedientiam quereret. Utrumque quidem ad spiritum rationalem pertinuit, ut et carni sue prouideret et sibi: carni quidem sue in bono quod ei ad usum eiusdem carnis erat subditum, sibi autem in bono illo quod non solum carni sed ipsi quoque qui in carne superior fuit excellit dignitate prelatum. Quapropter ad inferius quidem bonum conseruandum prouidentia pertinuit, ad superius autem bonum obtinendum obedientia necessaria fuit. Prouidentia ex ratione, obedientia ex precepto. Prouidentia in precepto nature, obedientia in precepto discipline. Sic itaque primus homo institutus est, ut uite inferioris bonum per prouidentiam custodiret, uite superioris bonum per obedientiam quereret. Si igitur hanc institutionem incessisset per sanctam iustitiam tenuisset, et sic alienus fuisset a culpa, ita et liber et inmunis permansisset a pena. Ut autem huius institutionis modum utrimque perfectius agnoscamus, utriusque uite rationem et formam et ea que ad utramque uitam spectare uidentur bona, eorumque usum diligentius nos considerare oportet. xxvi

Secundum inferiorem uitam.

De institutione hominis

Duo quidem bona que superius distinximus deus homini ab initio preparauerat, alterum temporale, alterum eternum; utrumque plenum et perfectum. Alterum, id est temporale bonum, plenum statim conditio apposuit, alterum, id est eternum, plenum postmodum dandum proposuit.